



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

Nvm. 1. De maioribus sex circulis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

QVINTA. *circulus Sphære maior est qui Sphære partem conue-*
xam in duas partes æquales fecat, vt N. I. Minor autem, qui eam
in portiones inæquales diuidit: vt L. M. &c.

SEXTA. *omnis circulus siue maior siue minor, olim in sexagin-*
ta partes secabatur, nunc in trecentas sexaginta, quas Geographi
vocant Gradus, & has iterum in sexaginta, quas Minuta, aut Scrupulos nominant.

CAPVT II.

De Polis.

POLVS dicitur à Græco *πολις* *verto*, quod circa illum cæle-

stis machina circumuoluatur; appellatur quoque *vertex*, & duplex assignatur *Arcticus* & *Antarcticus*.
 ARCTICVS nomen accepit ab Arcto seu Ursâ vicino fidere, cuius stella borealis iam dissidet tantùm à Polo 2. gradibus cum 30. minutis vt vulgò creditur, seu 40. vt periti malunt. Olim totis gradibus duodecim cum minutis 24. ab eodem Polo disiunctus erat. Dicitur aliter *Borealis*, & *semper apparens*.

ANTARCTICVS sic appellatur, vel quia est *oppositus*, vel quia est *æqualis* Arctico: vtrumque enim significat particula *ἀντι*. Vocatur aliter *Notius*, *Australis*, & *semper latens*, videlicet respectu eorum, qui ab Æquatore versùs Arcticum declinant.

§. 3. De circulis Sphæra.

Circulorum in Sphærà alij maiores sunt, alij minores.


Maiores circuli sex.

COLVRVS dicitur à *κόλως* *mutilo*, quia pars versus Antarcticum nobis mutilata videtur, & latet. Hic porro duplex.

SOLSTITIORVM, secans Cancrum, & Capricornum, in quibus signis Sol videtur stare, diebus ad sensum neque crescentibus, neque decrescendentibus.

ÆQUINOCTIORVM *Colurus* stringit Libram & Arietem, in quibus signis contingunt æquinoctia.

SPHÆRA ARMILLARIS.



HORIZON à voce ὄρος *terminus*, à Latinis *Finitor*, & à veteribus *Oceanus*, diuiditur in Rationalem & Sensibilem.

Rationalis, seu *Naturalis*, & *Artificialis* Mundum in duas partes æquales secat, & duobus modis diuiditur: *Respectu terre*, in *Rectum* cuius vertex dictus *Zenith* secat *Æquatorem* ad perpendicularum, & *Obliquum* cuius vertex demissus facit angulos inæquales: *Respectu autem cæli* in *Planum* qui ex humili loco videtur, & *Turbinatum* qui ab excelso.

Sensibilis autem circumscribitur visione nostrâ: qui ex loco plano, in obiectum item in plano constitutum, vt in mari & patienti æquore, non ultra 2840. passus Geometricos portigitur.

ZODIACVS, seu *Orbis signifer*, est Circulus obliquus *Æquatorem* secans, in quo planetæ suas periodos decurrunt. Nomen accepit à voce ζῳδιον *animal*, quia pleraque signorum, animalia sunt: vel à ζῳή *vita*, quia ex eo vita animantium pendet. In *Zodiaco* autem considerantur longitudo, & latitudo.

Latitudo olim ad 12. gradus extendebatur, nunc verò ad sexdecim, quoniam ab utrâque æquatoris parte, 8. gradibus Planetæ quidam aberrant.

Longitudinem autem *Zodiaci* constituit *ECLIPTICA*, quæ est linea *Zodiaci* media, in qua fiunt *Eclipses Solis & Lunæ*, diuisa in duodecim signa, quorum singula in 30. gradus iterum diuiduntur, signa autem cum characteribus suis sic exprimuntur:

♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍ ♎
 Aries: Taurus: Gemini: Cancer: Leo: Virgo: Libra:
 ♏ ♐ ♑ ♒ ♓
 Scorpius: Arcitenens: Caper: Amphora: Pisces.

Sagittarius: Capricornus: Aquarius:

ÆQUATOR, seu *Æquinoctialis*, & *Æquidialis* est linea quam cum Sol decurrit, vbique gentium noctes æquantur diebus, præterquam sub polo.

MERIDIANVS, seu *linea mediæ cæli*: est linea cui suppositi populi simul habent meridiem, modò Sol illis affulgeat. Vbi tamen obseruabis Meridianum duobus modis sumi, 1º pro gradu longitudinis, & tum Meridianus simpliciter dicitur: 2º pro circulo totum orbem ambiente, & tum *Meridianus Maior* appellatur, & defini potest linea cui suppositi populi simul habent meridiem aut mediam noctem.